FA. Folk 005.709

FD.Foll 005.709

HORÆ DIURNÆ PROPRII SANCTORUM DIOECESIS VALENTINÆ.

AD USUM BREVIARII Romani, Pii V. æditi, Clementis VIII. & Urbani VIII. auctoritate recogniti, accommodatæ.

VALENTIÆ:
Typographiâ Martini Peris, in vico Putei, juxta hortum de Ensendra.
Anno M.DCC.LXXXIII.

DIE III. DECEMBRIS.

IN FESTO S. MAURI MART.

Duplex 1. classis.

Omnia de Communi unius Mart.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus, ut qui beáti Máuri mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborêmur. Per Dóminum nostrum.

Die iv. Decembris.

In festo S. Barbaræ virginis & mart. Duplex. Omnia de Communi Virginum & Martyrum.

Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concêde propítius, ut qui beátæ Barbaræ vírginis & martyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiâmur. Per Dóminum nostrum.

Die xxii. Januarii.

In festo S. Vincentii martyr. Patroni.

Duplex 1. classis.

Ad Vesperas, Antiphona.

INvíctus mártyr, cum reliquis de Laudibus. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psalm. Laudâte Dominum omnes gentes.

Capitulum. *Apoc.* 3.

QUi vícerit, vestiêtur vestiméntis albis, & non delêbo nomen ejus de libro vitæ, & confitêbor nomen ejus coràm Patre meo, & coràm Angelis ejus.

Hymnus.

BEâte martyr próspera
Diem triumphâlem tuum,
Quo sánguinis merces tibi
Corôna Vincénti datur.
Hic te ex tenébris sæculi
Tortôre victo, & júdice,
Evéxit ad cœlum dies,
Christóque ovántem réddidit.
Nunc Angelôrum párticeps

Col-

Collúces insígni ſtola:
Quam teſtis indomábilis
Rivis cruôris láveras.
Adéſto nunc, & pércipe.
Voces precántum súpplices,
Noſtri reâtus éfficax
Orâtor ad thronum Patris.
Laus & perénnis glória
Patri ſit atque Fílio,
Sancto ſimul Paráclito,
In ſempitérna ſæcula. Amen.
℣. Glória & honóre coronáſti eum Dómine. ℟. Et conſtituíſti eum ſuper ópera mànuum tuárum.

Ad Magnificat, Aña.

Vincénti dabo édere de ligno vitæ, quod eſt in paradíso Dei mei, allelúj.

Oratio.

ADéſto Dómine ſupplicatiónibus noſtris, ut qui ex iniquitâte noſtra reos nos eſſe cognóſcimus, beáti Vincéntii mártyris tui interceſſióne liberêmur. Per Dòminum.

Ad Laudes, & per Horas.

Aña. Invíctus martyr Vincêntius victo

cto tyránno, insígnem hódie victóriæ palmam cœlo intulit. Ptalm. D óminus regnâvit, cum reliquis de Dnica.

Ana. Valérius Epíscopus, & ejus Levîta Vincéntius spe felícis victóriæ illécti, ad confessiónem Christi alácriter cucurrérunt.

Ana. Profitêmur, ò Daciâne, Christiánæ religiónis nos esse cultóres, & unîus veri Dei servos, ac testes.

Ana. Pro Christi nómine pugnatúri, spirituália arma susípimus, minas tuas, atque supplícia nihil metuéntes.

Ana. Cum Vincéntius in equúleo discerpertur, hoc se semper optasse, & votis ómnibus exquisivísse dicebat.

Capitulum. Qui vicerit, ut supra.

Hymnus.

DEcúrsa Vincénti tibi
Pœnæ minácis múnia,
Pulchrôque mortis éxitu
Omnis peracta est pássio.
Spectâtor hæc Christus Deus
Compénsat ævo intérmino,
Suæque Collégam crucis

Lar-

Larga corônat déxtera.
Per te, per illum cárcerem
Honôris augméntum tui,
Per vincla, flammas, úngulas,
Per carcerâlem ſtípitem.
Te deprecâmur póſcito,
Placâtus ut Chriſtus ſuis
Inclînet aurem próſperam,
Noxas nec ullas ímputet.
Laus, & perénnis glória
Patri ſit atque Fílio,
Sancto ſimul Paráclito
In ſempitérna ſæcula. Amen.
℣. Juſtus ut palma florêbit. ℟. Sicut cędrus Líbani multiplicábitur.

Ad Benedictus, Aña.

Qui non bájulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcípulus, ait Dóminus. Oratio. Adeſto, ut ſupra.

Ad Tertiam, Aña.

Valérius Epíſcopus.
Capitulum. Qui vícerit, ut ſupra.
℟. br. Glória & honôre, * Coronâſti eum Dómine. Glória & honôre. ℣.

℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória & honóre. ℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Ad Sextam, Aña.

Profitêmur, ò Daciâne.

Capitulum. *Apoc.* 2.

VIncénti dabo manna abscónditum, & dabo illi cálculum cândidum: & in cálculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui áccipit.

℟.br. Posuísti Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória. Posuísti. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Ad Nonam, Aña.

Cum Vincéntius.

Capitulum. *Apoc.* 3.

QUi vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, & foras non egrediétur ámpliùs:

&

& scribam super eũ nomen Dei mei. ℟. br. Magna est glória ejus, * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam & magnum decórem impónes super eũ. In salutári. Glória Patri. Magna est. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Vesperas, Aña.

Invíctus, cum reliquis de Laudibus. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psalm. Crédidi. Capitulum, & Hymnus, ut in primis Vesperis. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnificat, Aña.

Egrégius Christi martyr Vincéntius felícis pugnæ agóne pro fide constánter expléto, tándem corpóreis vínculis solútus, spíritum Deo réddidit.

Die xxx. Januarii.

In festo S. Valerii Ep. & Conf. Dupl. Omnia de Communi Confessoris Pontificis.

Ora-

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui sacram beáti Valérii Confessóris tui, atque Pontificis solemnitâtem hodierna die venerári voluísti: nos fámulos tuos ab omni culpa liberos esse concéde; ut ejus intercessióne ad vitam perveniâmus æternam. Per Dóminum nostrum.

Die ix. Februarii.

In festo S. Anastasii mart. Semidup. Offic. de Communi unius Mártyr.

Oratio.

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris: ut qui ex iniquitâte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Anastásii mártyris tui intercessióne liberêmur. Per Dóminum nostrum.

Feria ii. post Dominicam in Albis.

In festo S. Vincentii Ferrarii confessoris, & Patroni. Dupl. 1. clas.

Ad Vesperas, Ána. Indúlsit Deus, cum reliquis de Laudibus. Psalm. Dixit Dóminus, cum re-

reliquis de Dominica,& loco ultimi. Psalm. Laudâte Dóminum omnes gentes.

Capitulum. *Ephes.* 3.

MIhi ómnium Sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizâre investigábiles divítias Christi, & illumináre omnes, quæ sit dispensátio Sacraménti absconditi à sæculis in Deo.

Hymnus.

ALme Vincénti, veneránda cujus
Hæc dies valdè cólitur per orbem,
Quas tibi cantat chorus hic fidêlis,
Accipe laudes.

En adhuc matris récubans in alvo,
Signa jam terris dare sanctitâtis
Cœperas; natus nova lux fuísti
Spléndida mundo.

Namque mox annis téneris peráctis,
Prædicatórum sítiens adísti
Ordiné, servans documénta patrũ
Corde seníli.

Tactus è cœlis óperam dedísti

Lit-

Lítteris sacris utriúsque legis,
Quas docens, veræ fidei repléstî
Lúmine mundum.

Angelus nobis célebris fuísti
Ille, qui cœli médium volábat,
Núntians línguis populísque cunctis
Júdicis horam.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cœli sólio corúscans
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus, & Unus. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Ad Magníficat, Ánt.

Hic est fratrum amátor, & pópuli nostri: hic est qui multum orat pro pópulo & univérsa civitáte nostra, beátus Vincéntius conféssor Dómini, allelúja.

Oratio.

DEus, qui infidélium multitúdinem mira beáti Vincéntii confessóris tui prædicatióne ad agnitiónem

nem tui nóminis venîre tribuîsti: præsta quæsumus, ut quem ventûrum júdicem nuntiâvit in terris, remuneratôrem habêre mereâmur in cœlis Dóminum nostrum Jesum Christum filium tuum. Qui tecum.

Ad Laudes, & per Horas.

Aña. Indúlsit Deus Vincéntium mundo, ut in terris esset exémplo, & in cœlis patrocínio, allelúja.

Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica.

Aña. Agêbat in terris, nil terrêna sápiens: cujus conversátio erat in cœlis, allelúja.

Aña. Pulchri, & speciósi erant Vincéntii pedes ad evangelizándum pacem, ad evangelizándum bona, allelúja.

Aña. Suave illi fuit jugum Christi, & ad fidem latè propagándam onus leve, allelúja.

Aña. Ad consórtium ascítus est Angelôrum, qui puritâte enítuit, & castitâte præfúlsit, allelúja.

Ca-

Capitulum. Mihi ómnium Sanctórum, ut supra.

Hymnus.

SYdus extrémæ Veneténsis oræ,
Et Valentínæ decus urbis almæ,
Ordinis sacri fuit, atque sæcli
Glória nostri.

Signa quæ multis patuêre terris,
Hunc probant amplis méritis refértum.
Ac viris celsis fore comparándum
Témporis acti.

Inde post claræ monuménta vitæ
Ad poli regnum, superásque sedes
Lætus ascéndit, cápiens perénnes
Victor honóres.

Angelis septus, decorátus astris,
Doctor, & virgo, géminis corónis
Inter illústres ánimas refúlget
Múnere Christi.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum. Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias re-

rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Benedictus, Ańa.

Qui fécerit, & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum, allelúja, allelúja.

Ad Tertiam, Ańa.

Agébat in terris.

Capitulum. Mihi ómnium, ut supra. ℟. brev. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, * Allelúja, allelúja. Amâvit. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Amâvit. ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam, allelúja. ℟. Et língua ejus loquêtur judícium, allelúja.

Ad Sextam, Ańa.

Pulchri, & speciósi.

Capitulum. 2. *Tim.* 4.

DOminus mihi ástitit, & confortâvit me, ut per me prædicátio impleâtur.

℟. brev. Os justi meditábitur sapiéntiam, * Allelúja, allelúja. Os justi. ℣. Et língua ejus loquétur judícium.

Al-

Allelúja, allelúja. G lória Patri. Os justi. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsîus, allelúja. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus, allelúja.

Ad Nonam, Aña.

Ad consórtium.

Capitulum. *Apoc.* 10.

OPórtet te prophetâre géntibus & pópulis, & línguis, & régibus multis.

℟.br. Lex Dei ejus in corde ipsîus, * Allelúja, allelúja. Lex Dei. ℣. Et non supplantabúntur gressus ejus. Allelúja, allelúja. G lória Patri. Lex Dei. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

In secundis Vesperis,

Aña. Indúlsit, cum reliquis de Laudibus, Psalmi, Capitulum, & Hymnus, ut in primis Vesperis.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad

Ad Magnificat, Aña.

Hic eſt, qui præváluit amplificâre civitâtem, quique adéptus eſt glóriam in converſatiône gentis, glorióſus in cœlis, & patrônus noſter Vincéntius, allelúja.

Die xxiii. Aprilis.

S. Georgii martyr. Dup. maj.

Oratio.

DEus, qui nos beâti Geórgii mártyris tui méritis, & interceſsiône lætificas: concêde propítius; ut qui tua per eum beneficia póſcimus dono tuæ grátiæ conſequámur. Per Dóminum noſtrum.

Die xxiv. Aprilis.

Sancti Boni Latronis. Dupl.

Ad Veſperas, Aña.

Latro Chriſtum, cum reliquis ut infra ad Laud. Pſalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, & loco ultimi. Pſalm. Laudâte Dóminum omnes gentes.

Capitulum. *Isai. 59.*

ECce non est abbreviâta manus Dómini, ut salvâre néqueat; neque aggravâta est áuris ejus, ut non exáudiat.

Hymnus.

JEsu corôna célsior,
Et véritas sublímior,
Qui confitênti sérvulo
Reddis perénne præmium:
Da supplicânti cœtui,
Hujus rogátu, noxii
Remissiônem críminis,
Rumpêndo néxum vínculi.
Anni revérso témpore,
Dies resúlsit lúmine,
Quo Sanctus hic de córpore
Migrávit inter sídera.
Ut sis perénne méntibus
Paschâle Jesu gaúdium,
A morte dira críminum
Vitæ renâtos líbera.
Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui à mórtuis
Surrêxit, ac Paráclito,

In

In ſempitérna ſæcula. Amen.

℣. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, allelúja.

℟. Stólam glóriæ índuit eum, allel.

Ad Magnificat, Ánа.

Ait latro ad latrônem: Nos quidem digna factis recípimus; hic autem quid fecit? Meménto mei Dómine, dum véneris in regnum tuum, allelúja, allelúja.

Oratio.

OMnípotens, & miséricors Deus, qui juſtíficas ímpios; te súpplices exorâmus, ut nos benígno intúitu, quo Unigénitus tuus beâtum traxit Latrônem, ad dignam pœniténtiam próvoces; & illam, quam ei promíſsit, tríbuas nobis glóriam ſempitérnam. Per eúmdem Dóminum noſtrum.

Ad Laudes, & per Horas.

Ána. Latro Chriſtum crucifixum vidébat, & Regem invocábat dicens: Dómine, meménto mei, cùm véneris in regnum tuum, allelúja. Pſalm.

Dóminus regnavit, cum reliquis de Dominica.

Aña. Qui me conféſſus fuerit coram homínibus, confitêbor & ego eum coram Patre meo, allelúja.

Aña. Cum conturbâta fúerit ánima mea Dómine, miſericórdiæ memor eris, allelúja.

Aña. Salvum me fecit Chriſtus Redémptor, quia dixit: Hódie mecum eris in paradîſo, allel. allel. allel.

Aña. Ille qui talis ad crucem venit ex culpa; ecce qualis à cruce recédit ex grátia, allelúja, allelúja, allelúja.

Capitulum. Ecce non eſt, ut ſupra in Veſp.

Hymnus.

JEſu Redémptor ómnium,
Corôna confiténtium,
In hac die cleméntius
Indúlgeas precántibus.

Tui ſacri qua nóminis
Conféſſor almus cláruit:
Hujus celébrat ánnua
Devóta plebs ſolémnia.

Hu-

Hujus benígnus ánnue
Confessiónem nos sequi:
Hujus precâtu sérvulis
Dimítte noxam críminis.
Ut sis perénne méntibus
Paschâle Jesu gáudium
A morte dira críminum
Vitæ renátos líbera.
Deo Patri sit glória,
Et Filio, qui à mórtuis
Surrêxit, ac Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.
℣. Vitam pétiit à te, & tribuísti ei
Dómine, allelúja.
℟. Glóriam, & magnum decórem
impositísti super eum, allelúja.

Ad Benedictus, Ana.

Ait latro ad latrônem: Nos quidem digna factis recípimus; hic autem quid fecit? Meménto mei Dómine, dum véneris in regnum tuum, allelúja, allelúja.

Oratio. Omnipotens, & misércors Deus, ut in vesperis.

Ad

Ad Tertiam.

Ańa. Qui me conféſſus.

Capitulum. Ecce non eſt abbreviâta, ut ſupra in Veſperis.

℟. br. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum: * Allelúj. allelúja. Amâvit. ℣. Stolam glóriæ induit eum, Allel. allel. Glória Patri. Amâvit. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornâvit eum, allelúja.

℟. Et ad portas paradíſi coronâvit eum, allelúja.

Ad Sextam.

Ańa. Cum conturbâta.

Capitulum. *Iſai.* 58.

TUnc invocâbis, & Dóminum exáudiet: Clamâbis, & dicet: Ecce adſum.

℟. brev. Induit eum Dóminus lorícam fidei, & ornâvit eum, * Allelúja, allelúja. Induit eum.

℣. Et ad portas paradíſi coronâvit eum, allelúja, allelúja. Glória Patri. Induit eum Dóminus.

℣. Hic accípiet benedictiónem à Dómi-

mino, allelúja.

℟. Et misericórdiam à Deo salutâri suo, allelúja.

Ad Nonam.

Aña. Ille qui talis.

Capitulum. *Isai.* 38.

TU autem Dómine eruísti ánimam meam, ut non períret: projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

℟. brev. Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * Allelúja, allelúja. Hic accípiet. ℣. Et misericórdiam à Deo salutâri suo, allelúja, allelúja. Gloria Patri. Hic accípiet.

℣. Vitam pétiit à te, & tribuísti ei Dómine, allelúja.

℟. Glóriam, & magnum decórem impósuísti super eum, allelúja.

Vesperæ de S. Marco Evangelista, cum commemoratione S. Boni Latronis.

Aña. Impietas ímpii non nocébit ei, in quacúmque die convérsus fúerit ab impietâte sua, allelúja, allelúja.

℣.

℣. Amâvit eum, & Oratio. O mnípotens, ut ſupra in Veſp.

Si feſtum S. Marci contingat alio die celebrari; in 2. veſp. S. Boni Latronis, omnia dicuntur, ut in primis, ſed Aña ad Magnificat: Impietas ímpii, ut ſupra.

Dominica II. Maji.

In feſto B. Mariæ Virg. ſub titulo Matris Deſertorum. Dup. maj.

Omnia de feſto ad Nives, die 5. Aug.

Oratio.

DEus, qui Beatiſsimam Vírginem Marîam dulciſsimo titulo Matris Deſertôrum nos venerâri tribuíſti, ejuſque interceſsiône tantam grátiam conférre dignâtus es, ut nullus ad ejus præsídium confúgiens fúerit derelictus: concêde nobis fámulis tuis, ut ſub tantæ Matris protectiône conſtitûti, numquam à tua benignitâte deſerâmur. Per Dñum.

Feſta Julii.

Feſtum Sanguinis Chriſti. Dup. maj.

Celebratur feria quarta poſt Octavam

vam Apoſtolorum.

Ad Veſperas, Aña.

Chriſtus propóſuit Deus, cum reliquis de Laud. Pſalm. D ixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, & loco ultimi. Pſalm. L audâte Dóminum omnes gentes.

Capitulum. *Hebr. 9.*

FRatres, tabernáculum, & ómnia vaſa miniſtérii, ſánguine aſpérſit Móyſes: & ómnia penè in ſánguine ſecúndùm lege mundántur, & ſine ſánguinis effuſióne non fit remíſsio.

Hymnus.

MAximus Redémptor orbis
Morte vitam cóntulit:
Qui nec argénto cadúco,
Sed nec auro lábili,
Córporis tamen sacráti
Nos redêmit sánguine.
Mitis agnus immolâtur
Omnium pro crímine:
Ne quod arte fabricâtum
Conditôris éxtitit,

Di-

Dirus hostis possidêret,
Qui malum suggésserat.
Magna præstat immolâtus
Dux salûtis ómnium:
Complet excéssum, fidéles
Quem Prophétæ dixerant:
Nostra tunc peccâta solvit,
Nos tyránno líberans.
Misit infans carne sciíssus,
Misit orans sánguinem:
Misit & flagélla passus,
Orbe punctus spíneo:
Dum manus, pedes, latúsque
Pandit, offert sánguinem.
Laus, honor, virtus suprêma
Conditóri máchinæ:
Quam Pater summus gubérnat,
Natus atque Spíritus,
Omnibus Deus coléndus
Sæculórum sæculis. Amen.
℣. Redemísti nos Dómine.
℟. In sánguine tuo.

Ad Magnificat, Aña.

Sánguis Christi, qui per Spíritum Sanctum semetipsum óbtulit immacu-

culâtum Deo, emundâbit conſciéntiam noſtram ab opéribus mórtuis, ad ſerviéndum Deo vivénti.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui sánguine Fílii tui placári, & nos rédimi voluíſti: concêde nobis quæſumus ſalûtis noſtræ prétium ita recólere, ut & nunc véniam, & in ætérnum glóriam cónſequi valeâmus. Per eumdem.

Ad Laudes, & per Horas.

Aña. Chriſtum propóſuit Deus propitiatôrem per fidem in sánguine ipsîus. Pſalm. Dóminus regnâvit, cum reliquis de Dominica.

Aña. Jeſus ut ſanctificâret per ſuum sánguinem pópulum, extra portam paſſus eſt.

Aña. Sanguis Jeſu Chriſti fílii Dei emúndat nos ab omni peccáto.

Aña. Venit per aquam, & sánguinem Jeſus Chriſtus, non in aqua ſolum, ſed in aqua, & sánguine.

Aña. Chriſtus diléxit nos, & lavit

nos

nos à peccátis noſtris in sánguine ſuo.

Capitulum. Fratres, tabernáculum, ut ſupra in Veſperis.

Hymnus.

O Celſe rerum cónditor,
Salûtis auctor ómnium,
Tu nos ſacráto sánguine
Omni repúrgas crímine.

Nos anguis ille cállidus,
Antíquus hoſtis ſtráverat:
Primum nitôrem méntium
Calîgo culpæ démpſerat.

Sacro tamen de córpore
Summi valôris sánguinem
Fundis redémptor áffatim,
Omnémque labem díluis.

Repélle quidquid ímprobum
Intérna cordis ínficit:
In nos refúnde, quæſumus,
Tui vigôrem sánguinis.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & per omne ſæculum. Amẽ.

℣.

℣. Empti eſtis prétio magno.
℟. Sánguine Chriſti.

Ad Benedictus, Aña.

Chriſtus non per sánguinem hircórum, aut vitulórum, ſed per próprium sánguinem, introívit ſemel in ſancta, ætérna redemptióne inventa.

Oratio. O mnípotens ſempitérne Deus, ut ſupra.

Ad Tertiam, Aña.

Jeſus ut ſanctificáret.

Capitulum. Fratres, tabernáculum, ut ſupra.

℟. br. Dealbavérunt ſtolas ſuas, * In sánguine agni. Dealbavérunt. ℣. Ideò ſunt ante thronum Dei. In sánguine. Glória Patri. Dealbavérunt. ℣. Empti eſtis prétio magno. ℟. Sánguine Chriſti.

Ad Sextam, Aña.

Sánguis Jeſu Chriſti.

Capitulum. *Hebr. 9.*

SI ſanguis hircórum, & taurórum inquinátos ſanctificat ad emundatiónem carnis, quanto magis sán-

guis Christi emundábit conscientiam nostram ab opéribus mórtuis ad serviéndum Deo vivénti?

℟.br. Empti estis, * Prétio magno. Empti estis. ℣. Sánguine Christi Prétio magno. Glória Patri. Empti estis. ℣. Justificáti in sánguine ipsíus. ℟. Salvi érimus ab ira per ipsum.

Ad Nonam, Aña.

Christus diléxit nos.

Capitulum. *Apoc.* 12.

Projéctus est accusátor fratrum nostrórum, & ipsi vicérunt eum propter sánguinem agni.

℟.br. Justificáti * In sánguine ipsíus. Justificáti. ℣. Salvi érimus ab ira per ipsum. In sánguine. Glória Patri. Justificáti. ℣. Christus lavit nos à peccátis nostris. ℟. In sánguine suo.

Ad Vesperas, Aña.

Christum propósuit, cum reliquis de Laudibus. Psalmi, Capitulum, & Hymnus, ut in primis Vesperis.

℣. Christus lavit nos à peccátis nostris. ℟. In sánguine suo.

In

In secundis Vesperis, ad Magnificat,

Antiphona.

Accessístis ad Sion montem, & civitátem Dei vivéntis Jerúsalem cœléstem, & testaménti novi mediatórem Jesum, & sánguinis aspersiónem mélius loquéntem quam Abel.

In festo S. Angeli Custodis.

Duplex majus.

Celebratur Dominica prima post Octavam Apostolorum.

Ad Vesperas, Aña.

Immíttet Angelus, cum reliquis de Laudibus. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psalm. Laudáte Dóminum omnes gentes.

Capitulum. *Apoc.* 18.

VIdi Angelum descendéntem de cœlo habéntem potestátem magnam: & terra illuminâta est à glória ejus.

Hymnus.

ANgelum pura celebrêmus omnes

Men-

Mente, qui noſtro vigil, & decôrus
Præſidet regno, paritérque noſtram
Prótegit urbem.

Sédulus cuſtos rémovet moléſta.
Aſperos caſus prohibêre curat:
Firmat & regnum, melióre regno
Ut potiámur.

Quin & ingénti ſtúdio coléndus
Ille, quem noſtris ánimis ſuprêma
Præficit virtus, vígeant ut imò
Péctore celſa.

Ingerit menti melióra noſtræ,
Semper ætérnæ documénta frugis
Péctori noſtro ſerit, atquè dona
Summa precâtur.

Sit ſalus illi, decus, atque virtus,
Qui ſupra cœli réſidens cacúmen,
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus & Unus. Amen.

℣. Angelis ſuis Deus mandâvit de te.
℟. Ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis.

Ad Magnificat, Añ.

Dico enim vobis, quia Angeli eórum in cœlis ſemper vident fáciem

Pa-

Patris mei, qui in cœlis eſt, allelúja.

Oratio.

OMnípotens & miséricors Deus, qui Angélicam cuſtódiam Homínibus, Civitátibus, & Regnis contulíſti: concêde quæſumus, ut Angeli tui ſancti nos fámulos tuos à cunctis ánimæ, & córporis periculis, & Civitâtem noſtram, ac Regnum ab omni adverſitâte prótegant, atque defêndant. Per Dóminum noſtrum.

Ad Laudes, & per Horas.

Aña. Immíttet Angelus Dómini in circuîtu timéntium eum, & erípiet eos. Pſalm. Dóminus regnâvit, cum reliquis de Dominica.

Aña. Benedícite Dómino omnes Angeli ejus, poténtes virtûte, faciéntes verbum illîus.

Aña. In conſpéctu Angelórum pſallam tibi, & confitêbor nómini tuo.

Aña. Benedicite Angeli Dómini Dómino, benedícite cœli Dómino.

Aña. Nonne omnes ſunt adminiſtratórii ſpíritus, in miniſtérium miſsi

propter eos, qui hæreditâtem cápient salûtis ?

Capitulum. Vidi Angelum, ut supra.

Hymnus.

Regnâtor astris ímperans,
Perénnis & fons glóriæ,
Cœli supérnam régiam,
Sanctis decôrat Angelis.

Et Angelis Altíssimus
Præcépit, ut custódiant
Te, fortis ut perámbules
Vias salûtis árduas.

Qui te tot ex periculis
Palmis in altum tóllerent:
Ne forsan ad terréstria
Tui pedes impíngerent.

Qui semper ætérni patris
Vultum vident, & máximis
Aucti boni, mortálium
Mentes ad alta dírigunt.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

℣.

℣. Adorâte Dóminum.
℟. Omnes Angeli ejus.

Ad Benedictus, Aña.

Benedíctus Deus, qui misit Angelum suum; & éruit servos suos, qui credidérunt in eum, allelúja.

Ad Tertiam, Aña.

Benedícite Dómino.

Capitulum. Vidi Angelum, ut supra in primis Vesperis.

℟. brev. Stetit Angelus, * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens turíbulum áureum in manu sua. Juxta. Glória Patri. Stetit. ℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

Ad Sextam, Aña.

In conspéctu.

Capitulum. *Dan. 6.*

DEus meus misit Angelum suum, & conclúsit ora leónum, & non nocuérunt mihi.

℟. brev. Ascéndit fumus arómatum, * In conspéctu Dómini. Ascéndit. ℣. De manu Angeli. In conspéctu.

Glória Patri. Aſcéndit. ℣. In conſpéctu Angelórum pſallam tibi Deus meus. ℟. Adorâbo ad templum ſanctum tuum, & confitêbor nómini tuo.

Ad Nonam, Aña.

Nonne omnes.

Capitulum. 2. *Mach.* 12.

DOminâtor cœlórum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timôre, & tremôre magnitúdinis bráchii tui.

℟. brev. In conſpéctu Angelórum, * Pſallam tibi Deus meus. In conſpéctu. ℣. Adorâbo ad templum ſanctum tuum, & confitêbor nómini tuo. Pſallam tibi. Glória Patri. In conſpéctu. ℣. Benedícite Dómino omnes virtútes ejus. ℟. Miniſtri ejus, qui fácitis voluntâtem ejus.

In ſecundis Veſperis, Aña.

Immittet Angelus, cum reliquis de Laudibus. Pſalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, & loco ultimi Pſalm. Confitêbor tibi Dómi-

mine in toto corde meo, * quóniam. Capitulum, & Hymnus ut in primis Vesperis.

℣. Benedícite Dómino omnes virtútes ejus. ℟. Ministri ejus, qui fácitis voluntâtem ejus.

Ad Magnificat, Ańa.

Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes: tota die, & tota nocte in perpétuum non tacébunt.

Oratio. Omnípotens, & misércors Deus, ut supra.

Die xxiii. Julii.

Ss. Bernardi, Mariæ, & Gratiæ Fratr. Mart. dup.

Oratio.

MArtyrum tuórum Bernardi, Maríæ, & Grátiæ memóriam recenséntes, súpplices, te Dómine, deprecâmur: ut in tua charitáte radicâti, & fundáti, passiónes hujus témporis, amóre illius glóriæ, quæ revelánda est in nobis, invícto, ac libénti animo sustinêre valeâmus. Per Dóminum.

Die

Die xix. Augusti.

S. Ludovici Ep. & Conf. dup. maj. In Diœcesi: Oratio. D a quæsumus, de Commun. Conf. Pontif. In Metropolitana: Oratio.

DEus, qui beâtum Ludovîcum Confessôrem tuum, atque Pontíficem cœleste Regnum terréno præpónere docuísti, ac puritâte illibâta, & exímia in páuperes charitâte mirábilem efficere dignátus es: concêde nobis fámulis tuis, imitâri quem cólimus, ut ejúsdem virtútes emulántes in terris, coronâri cum ipso mereámur in cœlis. Per Dñum.

Die xviii. Septembris.

In festo S. Thomæ à Villanova Ep. & Confes. Dupl. 2. class. Ad Vesperas, Aña.

Ab útero matris cum beáto Thoma egréssa est miserátio, & crevit cum illo ad splendóres sanctórum. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, & loco ultimi Psalm. Laudâte Dóminum omnes gentes. Aña.

Aña. Memóriam fecit mirabílium Dómini, ſervus fidêlis, & prudens, eſcam dedit timéntibus eum.

Aña. Miſértus eſt, & commodâvit; diſpérſit, dedit paupéribus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Aña. Suſcitâvit à miſériis inopes, & de púlvere eréxit páuperes.

Aña. Confirmâta eſt ſuper egénos miſericórdia ejus, & nomen ejus manet in ætérnum.

Capitulum. *Tob.* 12.

BOna eſt orátio cum jejùnio, & eleëmóſyna magis quam theſauros auri recóndere: quóniam eleëmóſyna à morte líberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccâta, & facit invenîre miſericórdiam, & vitam ætérnam.

Hymnus.

PAuperum patri ſuper aſtra vecto,
Néctimus ſacris módulis corônam:
Emicat Thomas nova lux Ibéri,
Laudis abyſſus.

Ite

Ite thesáuri, procul ite gemmæ,
Calcat hic Heros pede vos poténti;
Vividus cunctis, pius ipse lánguens
Víscera fundit.

Cuncta quæ donat, rédeunt datóri,
Fœnus ò cœli! Duplicâtur aurum
Déxteræ dantis: duplicâta farris
Hórrea crescunt.

Ipse plus ultrà cúpiens dedísse,
Et dari totum: réliquum cubîle
Tolle, paupértas, moribundus inquit,
Tolle cubîle.

Pauper ut vixit, móritur, sed inde
Ditior gazis rutilántis Astri
Factus, effúndit pretiósa nobis
Múnera cœli.

Sit decus Patri, paritérque Nato,
Atque Manánti simul ex utrôque,
Quem priùs factus simul, & redémptus
Orbis adórat. Amen.

℣. Ora pro nobis beâte Thoma.

℟.

℟. Ut digni efficiâmur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat, Aña.

Esuriéntes implêvit bonis, nec ínopes dimísit inánes : suscêpit egénos, & páuperes, recordâtus misericórdiæ suæ.

Oratio.

DEus, qui beâtum Thomam Pontíficem insignis in páuperes misericórdiæ virtúte decorásti; quæsumus, ut ejus intercessióne, in omnes qui te deprecántur, divitias misericórdiæ tuæ benignus effúndas. Per Dóminum nostrum.

Aña. Qui vult venîre post me, ábneget semetípsum, & tollat crucem suam, & sequâtur me.

℣. Justus ut palma florêbit.

℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus, ut beáti Petri mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur;

mur ; qui pro ejúſdem fidei defenſiône martyrii palmam méruit obtinêre. Per Dóminum noſtrum.

Ad Laudes, & per Horas.

Aña. Amplificâtus eſt in mirabílibus ſuis, in omni ore quaſi mel indulcâbitur ejus memória. Pſalm. Dóminus regnâvit, cum reliquis de Dominica.

Aña. Natus eſt homo princeps Fratrum, firmaméntum gentis, ſtabiliméntum pópuli.

Aña. Lætêtur ánima veſtra in miſericórdia ejus, & non confundémini in laude ipsîus.

Aña. Effûdit in fundaménto Altâris odôrem divînum, oblátio Dómini in manu ipsîus.

Aña. Ornâvit témpora uſque ad conſummatiônem vitæ, ut laudarêtur nomen ſanctum Dómini.

Capitulum. *Tob.* 12.

BOna eſt orátio cum jejúnio, & eleëmóſyna magis quàm theſáuros auri recóndere : quóniam eleë-

eleëmósyna à morte líberat, & ipsa est, quæ purgat peccâta, & facit invenîre misericórdiam, & vitam ætérnam.

Hymnus.

AD glòrias, ad láureas
Exúrge flos Ibériæ,
Nostrîque sacra péctoris
Atténde vectigália.
Tu partus ingens Grátiæ
Cunctos replésti múnere:
Hos ímbuis virtútibus;
Illos & ære prævenis.
Te fusa in omnes Præsulem
Depauperâvit châritas;
Sed fœnus ingens glóriæ
Te ditat inter cœlites.
Delêre sontis crímina
Ab Axe doctus ínnocens,
Armas flagéllis déxteram,
Cruôre membra púrpuras.
O sancta liberálitas,
Cui gemma & aurum víluit!
At sánctior crudélitas,
Quæ sævit usque ad sánguinem.

Reg-

Regnas amíctus lúmine,
Indûtus olim láneis:
Dant uniónes lácrymæ,
Monîle fiunt vérbera.
Hoc te precâmur Trinitas,
Ex Patre Verbum, Cháritas,
Divi per hujus grátiam,
Largîre nobis glóriam. Amen.

℣. Ora pro nobis beâte Thoma,
℟. Ut digni efficiâmur promiſsiónibus Chriſti.

Ad Benedictus, Aña.

Verè Thomàs fuit conſtitûtus à Deo ſuper gentes, & regna, quia glorificâvit eum in conſpéctu regum, & unxit illum coràm pópulo ſuo.

Oratio. Deus, qui beâtum Thomam, ut ſupra.

Ad Tertiam, Aña.

Natus eſt homo.

Capitulum. Bona eſt orátio, ut ſupra.

℟. brev. Amâvit eum Dóminus, * Et ornâvit eum. Amâvit. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et ornâvit. Gló-

ria

ria Patri. Amâvit eum. ℣. Elêgit eum Dóminus Sacerdôtem ſibi. ℟. Ad ſacrificándum ei hóſtiam laudis.

Ad Sextam, Aña.

Lætêtur ánima veſtra.

Capitulum. *Iſai.* 58.

FRange eſuriénti panem tuum, & egénos vagóſque induc in domum tuam: cùm víderis nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpéxeris.

℟. brev. Elêgit eum Dóminus, * Sacerdôtem ſibi. Elêgit. ℣. Ad ſacrificándum ei hóſtiam laudis. Sacerdôtem. Glória Patri. Elêgit. ℣. Tu es Sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndùm órdinem Melchíſedech.

Ad Nonam, Aña.

Ornâvit témpora.

Capitulum. *Eccl.* 29.

QUi facit miſericórdiam fœnerâtur próximo ſuo: & qui prævalet manu, mandâta ſervat.

℟.

℟. brev. Tu es Sacérdos, * In ætérnum. Tu es. ℣. Secúndùm órdinem Melchísedech. In ætérnum. Glória Patri. Tu es Sacérdos. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Vesperas, Aña.

Ab útero matris, cum reliquis, ut in primis Vesperis. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominicâ, & loco ultimi Psalm. 131. Meménto Dómine David, Capitulum, Hymnus, Vers. & Resp. ut supra in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Aña.

Dedit in Thoma abyssus vocem suam, & altitûdo manus suas levâvit, quia os suum apéruit sapiéntiæ, & palmas suas exténdit ad páuperem. Oratio. Deus, qui beâtum Thomam, ut supra.

Deinde fit commemoratio Ss. Januarii, &c. mart. Aña. Istôrum est. ℣. Lætámini. Oratio. Deus, qui nos.

Die xxv. Septembris.

In Octava S. Thomæ Epiſc. & Conf.

Omnia dicuntur ſicut in die, præter Sequentia.

Oratio.

DEus, qui Patrem páuperum B. Thomam Præsúlibus in exémplum poſuíſti: præſta quæſumus; ut qui indigéntibus opem tulit in terris, ſuis nos précibus juvet in cœlis. Per Dóminum noſtrum.

Die xxi. Octobris.

In feſto Ss. Urſulæ & ſociarum Virginum & Martyrum. Duplex.

Omnia de Communi Virg. & Mart.

In utriſque Veſperis, & Laudibus.

℣. Adducéntur Regi vírgines poſt eam.

℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Añа. Prudéntes vírgines aptáte veſtras lámpades: ecce ſponſus venit, exíte óbviam ei.

Ora-

Oratio.

DA nobis, quæſumus Dómine Deus noſter, ſanctárum vírginum & mártyrum tuárum Urſulæ & ſociárum ejus, palmas inceſsábili devotióne venerári: ut quas digna mente non póſſumus celebrâre, humílibus ſaltem frequentêmus obséquiis. Per Dóminum.

LAUS DEO.

Reimprimatur.
Dr. Almarza, V. G.

Se hallarà en caſa de Joaquin Minguet, junto al Real Colegio de Corpus Chriſti.

1789